

dem filia, omnino servari debet; observatio autem pacti pertinet ad obligationem justitiæ. Idem disponitur in c. 28. et c. 2. eod. in 6. *Prob. 2.º ex auth. Sacramenta, C. si advers. vendition.: Sacramenta puberum, seu minorum, spontè facta super contractibus rerum suarum non retractandi inviolabiliter custodiantur.*—Nec obstat, etsi dicas Authenticam istam procedere de contractibus validis minorum carentium curatore, quod ex Const. Friderici non colligitur, sequitur hoc saltèm, quod contractus rescindibiles vijuramenti accipiant firmam obligationem justitiæ, et inviolabilem; hoc autem in effectu perinde est, ac ex contractu invalido facere validum in linea justitiæ. *Prob. 3.º unica ratione à posteriori: obligatio pacti jurati, v. g. quo filia renuntiat hæreditati, vel mulier consentit in alienationem rei dotalis, transit in hæredes, ita ut isti non possint petere hæreditatem aut bona dotalia alienata, prout recepta DD. sententia tenet; sed si ex tali pacto oriretur sola obligatio religionis, hæc non transiret ad hæredes. Nam obligatio religionis ex parte jurantis est merè personalis et intransitoria: ut patet in pacto jurato de usuris solvendis, cujus obligatio ex juramento non transit ad hæredes jurantis; ergò obligatio ista non est solius religionis, sed justitiæ, seu realis ex pacto per juramentum convalidato et confirmato. Vel adversarii assignent causam meliorem ex titulo religionis, cur filii matris, quæ cum juramento consensit in alienationem bonorum dotalium, non possint bona ista revocare? an ex contractu, vel quasi? Sed iste fuit invalidus. An ex propria natura juramenti? Sed hujus obligatio personam jurantis non excedit, et ideo hæres violans pactum juratum defuncti, non fit perjurus aut sacrilegus, ut adversarii fatentur.*

*Obj. 1.º L. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. in fin. Cod. de LL. l. 112. §. fin. ff. de legat. 1. l. 56. pr. ff. de fidej. et mand.—2.º Non apparet unde juramentum habeat vim pacta invalida firmandi seu convalidandi.*

*R. Ad 1.ºm Jura ista, vel correctæ sunt per jus Can. et cit. Auth. Friderici, vel procedunt de pactis invalidis redundantibus in præjudicium boni communis, tertii, aut continentibus turpitudinem ex parte accipientis. L. 56. cit. procedit in casu erroris, quo fidejussor jurat pro liberto, qui libertus non est.*

*Ad 2.ºm Cum Gonz. et aliis; vis ista tribuitur juramento à juro positi-vo Canonico et Civili, idque ob reverentiam nominis divini.*

222. Q. V. *Quis relaxare possit juramentum?*

*R. 1.º Si est factum soli Deo, relaxari potest ab eo, qui habet facultatem dispensandi in votis.—2.º Si factum est homini, et exequutione turpitudine est ex parte recipientis, relaxari potest ab Episcopo vel alio Prælato jurisdictionem quasi Episcopalem habente: ut juramentum de solvendis usuris, vel dolo aut metu extortum (c. 2. de his, quæ vi, c. 8. h. t. etc.) At si juramentum factum homini nullam turpitudinem contineat ex parte recipientis regulariter relaxari nequit, nisi à Papa ex gravi et publica causa; et in casu urgentis necessitatis probabiliter etiam ab Episcopo, ut colligitur ex S. D. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. Ratio est, quia in priori casu, quo turpitudine est ex parte accipientis, nullum acquiritur jus promissario; be-*

nè verò in casu posteriori: jus autem quæsitum alteri regulariter nemo potest tollere, nisi supremus Princeps ex causa publica; ergò. Ceterùm pro foro externo relaxatio juramenti petenda est ab Episcopo ejus, cui juratum est, quia hic sustinet partes rei, et ad relationem juramenti citandus est; ergò jurans ejus forum sequi debet.—3.º Princeps secularis non potest directè relaxare juramentum, utpote spirituale, sed indirectè in certis casibus: ut si ex causa publica remittat contractum et juramentum nomine civis, vel si eum reddat incapacem ad effectum promissionis juratæ etc.

223. Q. VI. *Quid observandum in juramenti interpretatione?*

*R. 1.º Juramentum, cùm sit inductivum obligationis, est strictè interpretandum (c. 19. de V. S.)—2.º Factum in materia juris, secundùm hujus dispositionem interpretari, nec ultra extendi debet (c. 6. de Eccl. ædif. c. 13. de Cler. non resid.)—3.º Generaliter bona fide præstitum, interpretandum est secundùm intentionem jurantis (S. D. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 3.) Sic generale juramentum parendi intelligitur, si justum, portabile et moderatum præceptum fuerit.—4.º Juramentum generale dolo et verbis callidis præstitum, interpretandum est secundùm sanum intellectum recipientis, cui juratur, c. quacumque 22. q. 5.: Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientie testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Reiff. num. 38.*

Hactenus de jure et armis actoris, seu de probationibus in genere et specie: nunc de jure, et armis reorum, seu exceptionibus, et præsumptionibus, quæ reis defendendis conceduntur.

## TITULUS XXV.

### DE EXCEPTIONIBUS.

224. *Nota I. Exceptionem dici, quod aliquid ex actione capiat, seu tollat. Quoad rem exceptio est: exclusio aut retardatio actionis mero jure competentis; et hæc est propriè dicta exceptio juris. At si nulla actio actori de jure competat, contra illum de facto agentem datur exceptio impropria, seu facti, aut intentionis, qua eliditur actio proposita in re non existens: ut si agas ex mutuo, quod mihi non dedisti. Tales sunt exceptiones contractus non celebrati, delicti non facti, soluti, usucapti, non legati, non donati etc.*

*Nota II. Exceptionem variè dividi:—1.º In nominatam, quæ habet proprium nomen in jure, ut rei judicatæ, jurisjurandi etc.; et innominatam,*

*a—Agitur de his in Sexto, et Clement. h. t.—In Decreto 3. q. 6. Can. 2.—In Institutionibus lib. 4. tit. 13. et 14.—In Pandectis lib. 44. tit. 1. usque ad 6. et lib. 21. tit. 3.—In Codice lib. 8. tit. 36. 37.*

quæ proprium nomen in jure non habet, sed generaliter dicitur *exceptio in factum*.—2.º In *civilem*, quæ descendit ex aliqua specie juris civilis, ut Scti. Maced., Vellej., non numeratæ pecuniæ etc.; et *prætoriam*, quæ descendit ex edictis Prætorum ob naturalem æquitatem, ut doli, metus, pacti conventi de non petendo, etc.—3.º In *realem*, quæ rei, seu causæ cohæret, et consequenter est transitoria ad hæredes et fidejussores (l. 6. 7. ff. h. t.), ut exceptio doli, metus, rei judicatæ, et pleræque aliæ; et *personalem*, quæ intuitu personæ conceditur propter specialem rationem, v. g. reverentiæ, pietatis, dignitatis: uti est exceptio *competentiæ*, ne certæ personæ teneantur solvere ultrà id quod possunt, salva sua honesta et competentis sustentatione, sicut pater, maritus etc., et hæc est transitoria, quæ nec ad hæredes, nec ad fidejussores transit (l. 7. pr. ff. h. t.)—4.º In *perpetuam*, quæ semper durat; et *temporalem*, quæ certo tempore opponenda est.—5.º In *dilatoriam*, quæ actionem simpliciter non elidit, sed tantum differt seu retardat, ut exceptio judicis incompetentis, suspecti etc.; et *peremptoriam*, quæ actionem simpliciter elidit, ut exceptio metus, Scti. Macedoniani etc.—*Dilatoria* vocantur *temporales*; *peremptoria* verò *perpetua*, non eo sensu, quia illæ tempore aliquo, et istæ semper durant, sed quia *temporales* actionem in tempus differunt, *perpetua* verò, etsi certo tempore proponendæ sint, actionem pro semper perimunt: ut exceptio pecuniæ non numeratæ, quæ est peremptoria perpetua, et tamen intra biennium proponenda (tit. C. de non numer. pecun.)—6.º In *justam*, seu legitimam, seu relevantem, quæ ob justam causam approbatur à jure; et *injustam*, seu frivolam, seu frustratoriam, quæ ad protelandam litem malitiosè opponitur.

225. Q. I. *Quis, et cui opponere possit exceptionem?*

R. Quicumque reus, etiam excommunicatus vel inhabilis ad agendum, opponere potest actori exceptionem, ejusque hæredibus (arg. l. 143. ff. de R. J. c. 5. h. t.). Nam cuicumque defensio à jure naturali conceditur; exceptio autem est species defensionis, et quoad substantiam, juris naturalis.—Nec obest, quod reus excipiendo fiat actor (l. 19. pr. ff. de prob.), et consequenter inhabilis ad agendum, etiam inhabilis esse debeat ad excipiendum; nam reus non fit actor simpliciter, putà aliquid petendo, sed tantum actor secundum quid et per accidens, scilicet ad probandam suam exceptionem.

226. Q. II. *Quando proponendæ sint exceptiones dilatoriae?*

R. Regulariter ante litem contestationem (l. fin. C. h. t.); nam exceptiones istæ litem ingressum et constitutionem judicii impediunt; ergò proponendæ sunt, antequam litem contestatione judicium constituatur: cujusmodi sunt contra *judicem*, ut exceptio judicis incompetentis, suspecti, excommunicati, juris imperiti, præventionis ab alio iudice; contra *actorem*, quia non habet legitimam personam standi in iudicio, quia procurator est destitutus mandato etc.; item exceptio loci non tuti, feriarum, temporis arctati seu brevis ad comparendum, libelli inepti vel obscuri, litem pendentis, plus petitionis, divisionis continentia causarum etc.—Excipe tres casus c. 4. h. t. expressos: si reus protestetur salvas sibi fore exceptiones, quas in scripto exprimere debet; si aliquæ primò post litem contestatam in-

notescant, vel tunc primò probari possint; si tunc primò emergant, nam quæ de novo emergunt novo indigent auxilio (l. 11. §. 8. ff. de interrog.); item si exceptio in continenti post litem contestatam vel terminum lapsum objiciatur, cum ea, quæ in continenti fiunt, inesse dicantur (l. 24. C. de prob.) Ceterum, ne lites nimis protelentur, iudicis erit præfigere terminum exceptionibus dilatoriis (c. 4. h. t.)

227. Q. III. *Quando proponendæ sunt exceptiones peremptoriae?*

R. 1.º Regulariter post litem contestatam ante conclusionem in causa (l. 9. C. h. t. l. 2. C. sent. rescind. non poss.) Nam tales exceptiones proprie excludunt seu perimunt actionem; actio autem excludi et perimi nequit, nisi ut deducta in iudicium. Tales exceptiones sunt: doli, metus, erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo, jurisjurandi, rei judicatæ, Scti. Maced. Vellej. etc.—2.º Exceptiones *impropræ* seu *facti* opponi possunt etiam ante litem contestatam; ut soluti, usucapti, non donati; uti etiam exceptiones, quæ dicuntur *litis finitæ*; ut iudicati, transacti, jurisjurandi litem decisorii. Nam frustrà fieret contestatio litem, dum actori, vel nulla actio de jure competit, vel notorium est actionem istam inutiliter et sine effectu proponi.—3.º Quædam exceptiones etiam post sententiam opponi valent: ut exceptio seu allegatio nullitatis sententiæ, restitutionis in integrum contra sententiam, et quæ executionem sententiæ impediunt; ut Scti. Maced. Vellejan. non numeratæ pecuniæ, competentia, compensationis. Secus gravato per sententiam non superest ordinarium remedium, nisi appellationis; et tunc in secunda instantia etiam locus est exceptionibus peremptoriis, exceptis illis, quas reus malitiosè in prima instantia non proposuit.—4.º Si iudex cum causæ cognitione terminum præfixit exceptionibus peremptoriis, eo elapso, non auditur reus (arg. lib. 2. Cod. de re judic.), quia terminus iste justè præfixus erat, adeoque observari debuit; secus dic, si causæ cognitio non præcessit; cum hic agatur de gravi præjudicio rei. Ceterum, iudicis non est supplere exceptiones, cum non agat officium partis litigantis, excepta exceptione extra excommunicatum vitandum, et his, quæ ipso jure elidunt actionem: ut soluti, usucapionis etc.; cum enim reipsa nulla actio competat actori, iudex ex officio eum repellere debet ab agendo (arg. l. 7. ff. de postulando.)

228. Q. IV. *Quando proponendæ sint exceptiones anomalæ seu irregulares?*

R. Cum regulam communem non sequantur, proponi possunt ante, vel post litem contestatam: ut exceptio judicis incompetentis omnino, excommunicationis majoris, termini angusti, feriarum, gravaminis successivi, loci non tuti, suspecti, et omnes illæ, quæ reddunt processum retrò nullum, ut falsi procuratoris (l. 24. C. de probat.)

229. Q. V. *Quæ sit forma servanda in proponendis exceptionibus?*

R. 1.º Exceptiones scripto vel viva voce proponendæ sunt, clarè et determinatè, ut jus et causa excipiendi appareat (arg. lib. 48. ff. de procur.) Si autem in modum actionis proponitur exceptio, uti non numeratæ pecuniæ, regulariter in scriptum redigenda est.—2.º Inter exceptiones dilatorias observatur ordo, ut prius opponantur contra iudicem, quia est incom-

petens, suspectus, infamis; deinde contra rescriptum, quia est vitiosum, ob vel subreptitium; tum contra personam actoris vel procuratoris; et tandem contra ipsam causam, locum, libellum etc.—3.º Cumulari possunt plures exceptiones, etiam contrariæ (*lib. 8. ff. h. t.*), quia pluribus defensionibus uti nemo prohibetur (*reg. 20. in 6.*), etsi ad speciem contrariæ sint: ut exceptio pecuniæ non numeratæ et debiti soluti, privilegii et præscriptionis etc.; nam reus asserit non utramque exceptionem esse veram, sed si actor contra unam probaverit, se velle probare secundam. In quo genere partes rei sunt favorabiles, quàm partes actoris, quia, quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una experiri debet (*l. 43. ff. de R. J.*)

230. Q. VI. Quis sit effectus exceptionum?

R. 1.º Reus excipiendo fit actor, putà secundum quid ad probandam suam exceptionem (*l. 49. pr. ff. de prob.*)—2.º Exceptio ritè probata excludit id, contra quod objicitur, ita ut dilatoria retardet processum, et peremptoria ipsam actionem elidat.—3.º Si ratione peremptoriæ sententia lata est pro reo, oritur exceptio rei judicatæ.—4.º Si reus in probatione exceptionis defecerit, non ideo statim actor vincit, sed ubi intentionem suam probaverit. Unde reus *exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri* (*reg. 64 in 6. c. 6 et l. 9. ff. h. t.*) Nam exceptio ex natura sua est ad elidendam intentionem seu actionem actoris; ergò contrarium effectum non potest operari, scilicet confessionem intentionis adversarii. Sic reus dicendo actori debitum repetenti: *jam solvi*, non fatetur se mutuum accepisse, sed conditionatè, si mutuum accepi, jam solvi: nam istæ illationes non sunt bonæ: *solvi, ergo debui; permutavi, ergo sui dominus*; potuit enim solutio et permutatio esse de facto et per errorem, non verò de jure et obligatione. *Excipe*, nisi cum exceptione accedat etiam confessio rei, sicut *c. 40 de transact. cap. 34. v. fuit, de elect.*

### Exceptiones in specie.

231. I. *Exceptio excommunicationis* potest opponi actori à reo pariter excommunicato (*c. 2. h. t.*); quia non defensio, sed actio aut conventio excommunicato negatur (*c. 5. eod.*) Opus est autem, ut reus speciem et nomen excommunicationis exprimat, et intra octo dies eam probet; alias iudex in causa procedet. Nec ultra bis eadem excommunicatio objicienda est, sed si secunda vice probata non fuerit, tertio non admittitur; quia præsumitur malitiosè opponi (*c. 4. h. t. in 6.*) Porrò excommunicatio dupliciter opponitur: *peremptoriè*, dum inducit nullitatem actus; ut si excommunicatus eligatur, vel beneficium ei conferatur (*c. 7 de Cler. excom.*); *dilatoriè*, dum prohibet actorem stare in iudicio. Si autem post rem judicatam objiciatur, sententia quidem valet per *reg. 73 in 6*, sed ejus exquutio suspenditur, ne excommunicatus agere ad executionem videatur (*cit. c. 4. h. t. in 6.*)

II. *Exceptio pluralitatis beneficiorum* non potest ab eo opponi, qui

plura beneficia obtinet (*c. 3. h. t.*); quia non licet in aliis reprobare, quod quis in se ipso approbat, nec prohibere alterum eo jure uti, quo ipse utitur (*arg. rubr. ff. quòd quisque juris.*) Si tamen alii idonei deessent, posset talis nomine Ecclesiæ excipere contra pluralitatem beneficiorum, ne Ecclesia per hoc lædatur, ejusque cultus minuatur. Nam delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ; ergò, non obstante proprio vitio, potest quis contra hanc pluralitatem excipere, ostendendo, quòd requisita residentia adimpleri, et divina officia ritè peragi nequeant.

III. *Exceptio criminis* contra testem probata, repellit eum à dicendo testimonio; non tamen sufficit ad pœnam ordinariam (*c. 4. h. t.*), nisi delictum cohærens sit negotio principali (*l. 2. §. 5. 6. ff. ad L. Jul. de adult.*)

IV. *Exceptio rei judicatæ* est propriè dicta exceptio; nam sententia actionem penitus non extinguit, cum non sit modus solvendæ obligationis: ità §. 4. *In. de except. et tit. ff. de except. rei jud.* Locum habet inter easdem personas, in eadem actione, et eadem causa seu medio agendi (*c. 43. h. t.*) Alioquin non procedit, sive sint diversæ personæ, sive diversum corpus, aut res, quæ petitur, sive diversa causa petendi: ut si petii fundum ex causa legati, licet victus fuerim, potero eundem fundum petere ex causa domini, vel donati etc. Unde reo absoluto quia non possidebat, si iterum possidere incipiat, non prodest exceptio rei judicatæ (*c. 43. h. t. ex l. 17. ff. de except.*) Vide disput. meas civil. *disp. 49. contr. 5.*

V. *Exceptio metus, seu quod metus causa*, competit ei, qui metu injusto aliquid promisit dare, ut actorem id petentem repellat.

VI. *Exceptio doli* competit ei, qui dolo inductus aliquid alteri promisit: v. g. dixisti te esse civem nicolsburgensem, ego tibi promisi mutuum, interim rescio te esse hominem vagum.

VII. *Exceptio erroris* competit ei, qui errore lapsus aliquid stipulanti promisit, quod promittere non debuerat: ut si putans me tibi debere 100 eos tibi stipulanti promittam. Error autem iste debet esse tantum in causa, ut ipso merito jure subsistat factum; si enim error sit in corpore seu substantia, vel in persona, vel in specie contractus, non habet locum exceptio juris; quia ex actu nullo nulla nascitur obligatio, et consequenter neque exceptio propriè dicta elisiva actionis; sed sola tunc procedit exceptio facti, seu allegatio nullitatis actus (Manz. à n. 9. *h. t.*) Porrò cum exceptio erroris non habeant nomen proprium in jure, vocari solet *exceptio in factum*.

VIII. *Exceptio non numeratæ pecuniæ* competit ei, qui spe futuræ numerationis chirographum scripsit, et tamen pecuniam numeratam non accepit: talis enim scribens, saltèm civiliter obligatur ex contractu chirographario. Neque tamen æquum est, eum condemnari ad solvendum, quod non accepit: ac proinde hac exceptione se tuebitur, dummodo illam proponat intra biennium (§. 2. *h. t.*). An vero post biennium eam proponere possit, vide in meis disp. civilib. *disputat. 42. contr. 6.*

IX. *Exceptio pacti de non petendo* competit debitori cum quo pactus

est creditor, quod debitum repetere nolit, vel ab eo tantum; et tunc ille solus liberatur, et non hæredes ejus; vel à nullo, et tunc exceptio ista prodest etiam hæredibus debitoris. Nam tali pacto prior obligatio non tollitur, cum pactum non sit modus tollendi obligationem (l. 27. §. *pactus, ff. de pactis.*), sed tantum ex illo nascitur exceptio, qua creditoris actio elidatur (§. 3. h. t. in *Inst.*)

X. *Exceptio jurisjurandi* competit ei, qui juravit rem suam esse, vel se non debere, si tale juramentum ab actore ei delatum sit (§. 4. *eod.*) Hæc exempla exceptionum affert *Imp. tit. In. de except.*, quibus plura alia addi possunt ex *Digestis*.

XI. *Exceptio rescripti moratorii* seu *dilatorii* competit debitori ex casu facultatibus lapsa, cui Princeps dilationem debiti concedit ad certum tempus, ut triennium vel quinquennium. Et cum dilatio ista minuat debitum illud differendo, sequitur hanc exceptionem esse realem, et consequenter fidejussori competere, sicut alias exceptiones reales (l. 7. ff. h. t. l. *fin. in fin. C. de usur. rei jud.*)

XII. *Exceptio competentiae* conceditur marito, patri, patruo, socio, donatori (§. 37. et seq. *In. de act.*), militi terrestri (l. 6. ff. *de re jud.*), et militi cælesti seu Clerico (c. 3. *de solut.*), ne in solidum condemnetur, seu quam possint, salva competenti et honesta sustentatione. Hæc exceptio est pure personalis, adeoque personam non egreditur, nec directè prodest fidejussori (l. 7. pr. ff. h. t.); sed solum indirectè, quatenus fidejussor conventus à creditore adigere potest debitorem principalem, ut is, suscepto iudicio in propria persona, opponat exceptionem competentiae (lib. 40. §. *perult. ff. mandati.*)

XIII. *Exceptio de eo, quod onerandæ seu comprimendæ libertatis causa factum est*: ut si dominus servum ultrò manumittat, et deinde ab eo pecuniam stipuletur, non tam ut eam exigat, quam ut libertum sibi obnoxium, reverentem ac timentem habeat (l. 1. ff. *quar. rer. actio. non detur.*)

Sunt præterea aliæ innumeræ exceptiones, ut Scti. Maced., Vellejani, cessionis honorum, quæ personalis est, quærelæ inofficiosi, minoris ætatis, litigiosi, dum res litigiosa alienatur, compensationis, transactionis etc.

232. Q. *Quid sit replicatio, et quid juris circa eam?*

R. 1.º Replicatio est exceptionis elisio, qua actor reum contra se excipientem repellit (l. 2. ff. et l. 40. C. h. t. et pr. *In. de replicat.*), ubi causa ponitur, cur admittendæ sint replicationes contra exceptiones: quia interdum evenit, ut exceptio, quæ prima facie justa videtur, tamen inique noceat.—2.º Contra actoris replicationem opponitur à reo duplicatio, et contra hanc ab actore triplicatio, et contra hanc à reo quadruplicatio etc. Ne verò in infinitum procedatur in replicationibus, iudicis erit terminum eis præfigere, sicut in *Cam. Imperiali* in dilatoriis non proceditur ultra duplicam, et in peremptoriis ultra triplicam. Accipe exemplum: convenio te ex locato, ut solvas mercedem; tu dices pactum fuisse de solvendo post duos annos (*hæc est exceptio*); contra opono transactionem, qua tibi remisi unum solidum (*hæc est replicatio*); tu dices huic transactioni

te consensisse ex metu (*hæc est duplicatio*); ego contra dico hunc metum fuisse vanum et levem etc. (*hæc est triplicatio*.); et sic de ceteris.

## TITULUS XXVI.

### DE PRÆSCRIPTIONIBUS. <sup>a</sup>

233. *Nota I.* In *Pandectis* rubricam scribi: *De usurpationibus et usucapionibus*, ordine præpostero; cum usucapio sit prior, posterior verò usurpatio, quæ est usucapionis interruptio (l. 2. ff. h. t.), adeoque prius agendum de usucapionibus, quam usurpationibus.

*Nota II.* Usucapionem et præscriptionem hodie synonymicè usurpari, postquam differentia inter res mancipi et non mancipi sublata est per *Justinianum* (l. un. C. *de nudo jure Quir. toll. l. un. C. de usucap. transfor.*) Ex modo tamen significandi, usucapio est modus acquirendi dominium: præscriptio verò est species exceptionis peremptoriæ, non quidem propriè talis, cum nullam præsupponat actionem de jure, quam perimat; sed impropriè talis seu facti, quia repellit actorem ab agendo, utpote actione destitutum. Quæ ratio sufficiens est, cur in jure Canonico et *Pandectis* post *tit. de exceptionibus*, subjungatur *titulus de præscriptionibus*, licet præscriptio latius sumatur etiam pro exceptione (*tit. ff. et C. de except. et præscript.*)

*Nota III.* Præscriptionem dupliciter sumi: *in fieri*, prout est actus continuativus possessionis necdum tempore completæ: quo sensu dicitur: *præscriptio non currit, dormit, interruptitur, etc.*; *in facto esse*, prout est jus quæsitum ex possessione legitimo tempore continuata: quo sensu definitur à *Modestino* (l. 3. ff. h. t.): *Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Dicitur *adjectio*, seu adeptio, vel *positiva* qua acquirimus rem vel jus alienum, et tunc utimur accusativo: v. g. præscripsi fundum, decimas, jus venandi etc.; vel *privativa* seu *extinctiva*, qua jus alienum in re nostra extinguimus, et tunc utimur dativo: præscripsi decimis, juri venandi. Dicitur *dominii*, latè sumpti pro quocumque jure. Per ceteras particulas intelliguntur requisita de jure necessaria ad præscriptionem, de quibus infra.

*Nota IV.* Præscriptionem dividi:—1.º In *ordinariam* seu longi temporis, qua res mobilis triennio, immobilis verò decennio inter præsentis, et vicennio inter absentes præscribitur; *extraordinariam* seu longissimi temporis, quæ tempore triginta vel quadraginta annorum completur; et

a.—Agitur de his in *Sexto h. t.*—In *Decreto* 16. q. 3. 4.—In *Institution. lib. 2. tit. 16.*—In *Pandectis lib. 41. tit. 3. usque ad 11. et lib. 44. tit. 3.*—In *Codice lib. 7. tit. 21. usque ad 41. Nov. 9.*